

05

A

568



Disputationes AntiGesauvuitica

DE VERBO DEI SCRIPTO.

In quibus Speculum miseriarum sive mendaciorum contra Mulmannum, à Iohanne Mulhusino, Apostata, apud Moguntinos Theol. D. & Professore, à parentibus suis Lutheranis olim Episcopi dicto, fabricatum, malleo divinae scripturae

Frangitur, tunditur, Conteritur :

PRAESIDE

M. IOHANNES MULMANNUS Ecclesiae Christi ad D. Nicol. apud Lips. Archidiacono, non tantum adhuc Lutherano, ut sterco suo Propheta in sua inscriptione notat, sed etiam per Dei gratiam usque ad ultimum vitae halitum mansuro.

Respondente

M. IOHANNES BLUMENAUERUS Zerbecensis.

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohan. Schmidt, Sumptibus Clementis Bergeri Bibliop. Anno 1607.

VIRIS

*Reverendâ dignitate, eruditione præclarâ, au-
toritateq; rarâ eminentissimis & eminentibus:*

Dn. POLYCARPO LYSERO S.S. The-
ologiæ Doctori, & in aula Illustrissima
Dreidensi sacrorû Antistiti vigilantissimo:

Dn. IOHANNI OLEARIO S.S. Theolo-
giæ Doctori, & Ecclesiæ Hallensis Super
attendenti fidelissimo:

Dn. M. ABRAHAMO SVARINO, Eccle-
siæ Delitianæ ac vicinarum Inspectori
fidissimo:

NEC NON

*AMPLISSIMIS ET PRVDEN-
tissimis Viris, Dn. Consulibus, caterisque Or-
dinis Senatorii Zerbecensis Con-
sortibus:*

*Dominiis, fautoribus, patronis, ac promotio-
ribus suis offert ac dicat*

Primam disputationem AntiGesauviticam

Gratæ mentis μνημόσυνον

Et Debitæ observantiæ τεκμήριον

M. Iohannes Blumenauerus

Zerbecensis.

05 A 568



Iohanni Mulhusino loco

salutis mentem veraciorem.



*A*H, quàm impatiens isthac est patientia, quàm brevis longanimitas tua, Iohannes Gesauvuita! qui in ipso quidem mendaciorum Mulmannicorum scilicet vestibulo profiteris te, quæ tibi videntur conuicia, libenter omnia Adversario condonaturum: nihilominus tamen me partim ἀδικοπραγῶν, per Baccalaureum tuum, larvatum muscarium, inter capitales muscas & culices à Beelzebube per Lutherum excitatos, recenseres: partim αὐτοπραγῶν, Suffeno cuidam Catulliano, insulso caprimulgo & fossori in præfatione tua comparas. Quibus viperinis moribus usq; adeo mihi nullam bilem moves, ut iucundam potius jubilandi necessitatem afferas: tibi vero ipse ingentem turpitudinis notam inuras. Hoc enim pacto liquidò testatum facis, te ex maledico Iudeorum grege esse, qui ut nostrum, Patremfamilias Iesum, Beelzebubem vel principem muscarum inclamare haud veriti sunt: ita tu, egregius tantæ malitiæ æmulus pro muscis & culicibus omnes habes, qui vocem Christi solo sacrarum literarum complexu descriptam, sequuntur. Ita fit ut quo me exacerbare, virisq; bonis inuisum reddere voluisti, id mihi apud Deum & omnes sanctos maximam laudem & honorem conciliet. Nec ego tam mollis ac effeminatus sum, ut ab iis conuiciis abhorream, quibus Salvator meus longè atrociora,

Gesauvuita
ca hypocri
sis.

Retorsio
criminis in
autores
suos.

Socratica
patientia.

Novissimè
venerunt
duo falsi
testes.

animo patientissimo toleravit. Proinde de compensandis illis parum quoque ero sollicitus: sufficiat illud Socratis responsum tam scitum quam aculeatum: an, si me Asinus percusserit, oporteat me continuo in quadrupedem recalcitrare?

Verum ne mihi præter causam suffeni culpam impingere videaris, adducis duos testes, nescio ex quibus tenebris extra Etos: Vnum Doctorem quendam Lutheranum, quem me in Epistola sua suffenum Iesuitis numquam parem nuncupasse dicis: Alterum honestum quendam & literatum virum, mihi olim familiarem, ex cuius sermone didicisti, me quoque Lutheranis cordatioribus esse invisum. O quam vereor, ne Lectori subventaneos cerebri tui partus narres; heus Gesauvita, quinam sunt isti duo, qui me tibi de nota deteriore commendarunt? dic nomina, si mendace & calumniatore melior es: Vbi gentium habitant? apud Cilicesne vel Cretenses? dic sodes, quos tu cordatiores Lutheranos mihi parum propitios intelligis? quære eos in quorum oculis jam versor, & senties, te inani imaginatione & solitudine mei macerari. Sed aperiam tibi Lutherannos illos ex hisce præfationis tuæ verbis: accedit quod Mulmannus ob summam dicacitatem Calvinianis etiam exosus sit, quos hæreticos passim juxta illud: Væ tibi tu nigræ dicebat cacubus ollæ: proclamat. Provocas tu ad meas proclamationes, hoc est, conciones viva voce habitas: quis hic de me conqueritur, non Lutherani, quia nullam habent causam: Si Calviniani: mentiris tu impudentissimè, me Lutheranis esse invisum,

utpote

utpote cui satis cognitum est, quanto distemate Lutherani à Calvinianis se juncti sint.

Cur verò bone vir odium Calvinistarum mihi objicis? quo te queso favore & benevolentia Heidelbergenses & alii Calvinistæ persecuti sunt, & adhuc prosequuntur? cur probrosum mihi sit, quod tuæ famæ non vis esse perniciosum?

Qui Calvi
nitis invi-
sus est, est
suffenus.
Subsume
Gefauvita

Quod si qui etiam ex Lutheranis mihi infensi sint, nulli id rectè judicanti absurdum videbitur. Habuerunt Prophetæ oses suos in populo Dei, habuit Christus, habuerunt Apostoli: Nonne legisti Amos 5. ver. 10. Odio habuerunt corripientem in porta: & loquentem perfectè abominati sunt. Quinimò quoties inter discipulos Christi odium aliquod vel invidia oborta est? hinc illæ rixæ & contentiones. Matth. 18. Luc. 22. At noster Apostata Naso quo vis impio fortunatior est: nec enim est in labore hominum nec cum hominibus flagellatur Psal. 73. ver. 5. procul semotus à communi sorte sanctorum. Interim ut credam adduci non possum, religiosum istum Mulmannicæ fortunæ observatorem & corycæum nullis Jesuitis vel Papi colis invisum esse: Constat enim universo Mundo quàm seditiosum, virulentum & pestiferum sit istud genus hominum, quàm inimicum aliis Clericorum ordinibus, quàm execrabile illustribus Rebus pub. Venetorum, Gallorum, Anglorum, Polonorum & aliorum. Quare si vel maximè uni vel duob. biliosis Lutheranis invisus essem (quanquam nullam id suspicandi causam habeam) tu certè me infinitis modis es infelicio, qui cum toto Jesuovitæ examine, omnibus cordatioribus

Gente Ge-
fauvítica
nihil odio-
sius alit ter-
ra.

Et magistratibus Et Christianis passim in utraq; naves sordes :
hanc lethalem scabiem si ve lepram conaris mihi quoq; lutea tua
præfatiuncula, sed frustrato eventu affricare, ita ut de te quoq;
jure usurpari possit illud Homericum Iliad. 3.

Βοῦδῆεεν δ'ε' ἴστο θυμὸς, ἢ τ' ἔμην' ἀφάμαρτε.

Quod Iesuitis Et Catholicis à me mendacia illata de novo
conquereris actum agis, responsum tibi est in Anacrisi mea de
Pyrrhone redi vivo cap. 3. Quid tu contra? hæc omnia Mulman-
no libenter condonabimus. Frustra patientiam simulas, qui
in Præfatione vesanam mordendi libidinem exerces.

Mirabilis
ratio solven-
di Luthera-
norum ar-
gumenta.

Sed ad mendacia ipsa pedem moveo, in quibus narrando,
negandoque potissimum, non probando miserrimum agis dispu-
tatores, juxta illud: si fecisti nega. Namq; tuo more vel puli-
cis instar hinc inde saliendo, argumenta nervosiora quæq; re-
linquis, vel obiecta per malitiosam status eversionem, le vicu-
la aliqua ἐναυτιοφωνία eludens, pueriliter Et insulse clamitas,
mendacium, mendacium, ut olim Ratisbonæ, in Forma, in For-
ma. Vbi verò maxime opus erat responsione, piscem agis vel
Sophistam, cum tamen Anacrisi mea te ad responsionem τῶς
τὰ καδένασα provocaverit.

Quod autem serius tibi respondeo, in causa est serius mi-
hi facta exemplaris tui copia, quam acceptam refero cuidam
Iesuita stero, ex quo inter alia cognovi, te de misero isto hoc spe-
culo tuo disputasse die decimo sexto septembris ab hora octava
usq; ad decimam. Adeo expeditus est Gesauv vita, ut cum ad
omnia Paræi Et Mulmanni argumenta refutanda, tum ad Li-

centiandum pro dignitate examinandum, par horarum ipsi sufficiat. Atq; hæc disputationibus nostris præmittere visum fuit: nunc quæ Mulmannus mendacia commiserit, audiemus. Admonitum autem volo te, Gesau v'vita, ne posthac, sicut antea à te factum est, unum atq; alterum verbum vellices, argumentis gravioribus, ad quæ nihil respondere poteras, relictis: sed ut ad singulas quæstiones à me propositas respondeas: si hoc non feceris, judicabunt omnes te cum speculo tuo penitus contritum esse: nec ego te ullo amplius verbo dignum reputabo. Resipiscendo vale.



Dispu.

Disputatio prima

Continens mendacii primi refutationem.

πρὸς Βολὴν Moguntinorum.

THESES I.

DRimum mendacium est: Moguntinus (absolute, & quasi defectum vel vitium aliquod in iis notarint;) sectione I. Thesi 4. Scripturas obscuras dicere. Mendacium, inquam, hoc est; neque enim scripturas sic obscuras dicimus (quod semper calumniantur isti) quasi alicuius inde vitii vel defectus eas insimulemus, sed solum, quia ob loquendi modum & mysteriorum quæ tractant, sublimitatem (ut Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, Prædestinationis &c.) nimis humanæ nostræ intelligentiæ imbecillitatem superant, iuxta illud Rom. II. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ eius &c. Vnde hic non se prodit solum Mulmanni mendacium, sed stupor etiam vel malitia. Is si hæc thesi 3. 4. & 5. clarissimè exposita non intellexerit: illa, si quæ intellexisset, sinistre fuerit interpretatus.

Ἀντιβολὴν Mulmanni.

II.

Ut mendacium hoc, quod tenebrio Moguntinus principale dicit, retundatur, explicanda sunt hæc quæstiones. 1. An Sacra Scriptura Iesu-vitis absolute & in se sit obscura? 2. An Iesuitæ Sacram Scripturam vitiosam & cum defectu conjunctam obscuritatis insimulent? 3. An obscuritas illa solum in loquendi modo & mysteriorum sublimitate, consistat? 4. An Pauli ἐκφώνησις Δαυμασικὴ faciat Scripturam sensu Pontificio obscuram?

QVAE

QVAESTIO. I.

An Sacra Scriptura sit Iesuvvitis absolute obscura?

III.

Questionis materiam extorsi Gesauvvia hoc Syllogismo: Quicquid ex sacra Scriptura probatur sine auctoritate Ecclesiae, id dubium & incertum est.

Απορμὴ
quaestionis.

Sed ex Scriptura probatur sine auctoritate Ecclesiae, quod Ecclesia sit Iudex controversiarum infallibilis. Matth. 16. 18. 1. Tim. 3.

Ergo id dubium & incertum est.

IV.

Majorem probavi κατὰ τὸ ἀυθομολογούμενον ex Moguntinorum disputatione de Sacrarum Literarum interprete &c. sect. 1. th. 4. Quia Scriptura est obscura.

V.

Minorem probavi: quia alias sumeretur τὸ ἐν ἀρχῇ hoc modo: Ecclesia est Iudex controversiarum Theologicarum infallibilis: ratio: quia infallibiliter iudicat ex Scriptura de sua auctoritate. Ita incertum per aequè incertum probaretur. Vide Epistolam dedicatorem ἀνακρίσεως nostrae.

Lubricum
sane & infirmum
Theologiae
Rom. 1. x.
principium.

VI.

Quid Iebusita? Hoc Syllogismo adeo constrictus tenetur, ut concessis ambabus praemissis nihil negare ausit, nisi probationem Majoris: Moguntinos Scripturas dixisse obscuras. Sed age ascribamus illorum verba, sic inquit Mulhansinus sect. 1. th. 4. Nemo prudens mirabitur, quod Scripturam obscuriorem dicam: egereque interprete, cum & ipsa sua de obscuritate evidenter testetur.

B

Viden

V I I.

Viden, bone ἀπίλῳγε, quam tibi constes, si neminem prudentem vis mirari, quare Scripturam obscuram dixeris, qui quaso mentitus est Mulmannus, quod te id ipsum dixisse meminere?

V I I I.

At negas te Scripturam absolute obscuram dixisse, ideoque Mulmannum te calumniari conquereris: eheu quam παρακρίσις ἢ φευδολόγως. tu enim ipse per parenthesis calumniosam meis verbis affingis τὸ absolute: anacrisis nostra non habet. Quare mendacium & calumnia non est in mea anacrisi, sed in tua parenthesis.

I X.

Sed quorsum obscuritatis tuae explicatio? sanè de argumento meo ne syllabam quidem refellit: sic enim Majorem adhuc probo: Quicquid ob loquendi modum & mysteriorum vel rerum sublimitatem obscurum est, ex eo nihil potest probari sine auctoritate Ecclesiae. At Sacra Scriptura est ob loquendi modum & rerum sublimitatem obscura. Ergo ex ea nihil potest probari sine auctoritate Ecclesiae. Et per Consequens ne ipsa quidem Ecclesiae judicialis auctoritas.

βεβαίω-
σι
nostri argu-
menti.

X.

Murus hic esto abeneus: iterum te laesso miserrime Gesauvita, responde ad argumentum hoc, ostende quid in eo desiderare possis, quod veluti lusciosus vel lippus prateristi, cum nullam elabendi rimam videres. Aut nos ex obscuritate Sacrarum Literarum à vobis propugnata concludimus istud ἄλυστον: Ecclesiam Romanam nullam habere auctoritatem judicialem.

X I.

Si vero illa Scripturae obscuritas non obstat, quin ex ea Ecclesiae auctoritatem interpretatoriam, quod jaētatis, probare possitis: perinde non obstat eadem, quo minus, alios articulos fidei inde confirmare & explicare valeamus.

Vide

XII.

Vide autem mi Gesauvita, qui te aliosq, catholicos tibi concilies. Nam modo negas, te Scripturam absolute obscuram dicere: at. Sect. 3. th. 50. ita deliras: Scripturam varios recipere sensus, experientia tot haeresum manifestum est: nec minus perspicuum, eandem scripturam per se, neque explicare, neque dicere, quisnam tot sensuum verus sit quis falsus.

XIII.

Hinc contra te ita argumentor: Quae scriptura nec verum, nec falsum sensum explicat, eatenus varios recipit sensus: sed per se nec verum nec falsum sensum explicat. Ergo per se recipit varios sensus. Ergo in se habet obscuritatem. Ergo absolute obscura est.

XIV.

Pugnat tecum Patriarcha tuus Bellarminus à quo tuas theses alias mutuatus es: Nam lib. 1. De Verbi Dei interpr c. 1. scribit. Notandum est, Apostolum Petrum non dixisse, esse quaedam difficilia indoctis & instabilibus, ut haeretici exponunt, sed difficilia absolute. Vbi Bellarminus de difficultate intelligentiae loquitur, quae eadem est ac obscuritas. Statuit igitur scripturam esse absolute difficilem & obscuram, quod negant Moguntini.

Moguntini
contradi-
cunt Bellar-
mino.

XV.

Hic est mirificus ille consensus inter omnes scriptores sacros in Ecclesia Romana, unde Bellarminus probat, eam solam esse veram Dei Ecclesiam lib. 4. De notis Ecclesiae c. 10. credo equidem sicut simia ste Martinus.

Ita consen-
tiunt Cad-
maei fra-
tres,

XVI.

Quare Mulmannus non est mentitus, siue dixit, scripturam Moguntinis esse obscuram, siue absolute obscuram: aut necesse est ipsos à Romanae Ecclesiae confessione discedere.

QVÆSTIO II.

An Esauitæ Scripturam vitiosæ & cum defectu
conjunctæ obscuritatis insimulent?

XVII.

Inserit & hac verba Bibliomastix noster suo Marte, sed planè frustra: nullo enim adhuc digito tangit mei argumenti solutionem.

XVIII.

Etsi autem nolit videri is, qui defectum vel vitium aliquod in scripturis notavit: tamen seipsum expressis verbis ita confodit, ut proluxa responsione non indigeat.

XIX.

Sectione 2. disputationis suæ de sacrarum Literarum interprete, &c. th. 28. sic inquit: Nonnulla Christianæ fidei & religionis dogmata, neq; in scripturis expresse contineri, neque ex illis per evidentem consequentiam deduci certissimum est. Item: Scripturæ non sunt unica norma seu Regula fidei: sed præter illas, ut fidei quandam Regulam, illam quoque Ecclesiasticam traditionem admittere necesse est.

XX.

Quis hinc adeò stupidus & cæcus est, qui non intelligat & videat, à Mulhansino expressum defectum in scripturis notatum esse?

XXI.

Si nonnulla fidei dogmata cum traditionibus Ecclesiasticis non extant in scriptura, necesse est eam multorum pati defectum: & si eadem non est Norma fidei sufficiens, procul dubio est Norma secundum plurima deficiens: nisi fortè statuere velit insulsus disputator: defectum non esse in iis, in quibus multa desunt, multa non sufficiunt. Dic sodes Iesu vira, quid tandem est defectus?

Ex defectu
mentis non
intelligis
quid sit de-
fectus.

Defectus

XXII.

Defectus procul dubio idem est, quod imperfectio & opponitur perfectioni. Perfectum definit *Th. Thomas* in opusculo de perfectione, quod sit id, cui nihil deest in ordine ad aliquem finem. Quam descriptionem agnoscit *Bellarminus* lib. 2. de Monachis c. 2.

Quid *Thomas* & *Bellarmino* sit perfectum.

XXIII.

Subsumo ego: Scripturae ex *Gesauv* vitarum sententia multa desunt in ordine ad finem. Ergo Scriptura non est *Iesuitis* perfecta. Major est probata auctoritate *Thoma* & *Bellarmini*: Minor roboratur hoc pacto.

Definit *Arist.* l. 10.

Metaph 4.

τέλειον, οὐ

μή ἐστιν ἔ-

ξω τέλειον

λαβῆν τι

δυνατόν.

XXIV.

Finis Scripturae est agnitio Christi, hominis perfectio, salus & vita aeterna, juxta dicta *Ioh. 5. v. 39.* Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: & illa sunt quae testimonium perhibent de me *Ioh. 20. v. 31.* Haec scripta sunt ut credatis, quia *Iesus* est *Christus Filius Dei*, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius. *2. Timoth. 3. v. 16.* Omnis Scriptura θεόπνευστος, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei.

XXV.

Sed ad consequendum hosce fines: agnitionem Christi, hominis perfectionem, salutem & vitam aeternam multa desunt Scriptura, ut *Papicola* sentiunt: proinde vitio & defectu non aliquo sed plurimo eam laborare necesse est. Ita *Mulmannus Moguntinos* intelligit, neque quicquam sinistrè interpretatur, sed ita, ne illi à *Numinibus suis*, *Thoma* & *Bellarmino*, imò ne à seipsis quidem videantur deficere.

QVAESTIO. III.

An Obscuritas ista Scripturae solum in loquendi modo, & mysteriorum sublimitate consistat?

XXVI.

Voce (solum) discedit Mulhasinus à Gregorio de Valentia, qui tom. 3. Comment. Theol. disp. 1. quest. 1. de objecto fidei punct. 7. tertiam obscuritatis causam addit, eamq, refert ad nos ob infirmitatem intelligentie multis mediis atq, adminiculis indigentes.

XXVII.

Cur Moguntini duas solum obscuritatis causas agnoscant.

Sed iste mavult cum Bellarmino sentire, de Verbi Dei interpr. l. 3. c. 1. Quid ita? audi. Bellarminus duas recenset sententias, unam Lutheri, quod Scriptura licet per se clarissima, tamen superbis & infidelibus sit obscura ob eorum cecitatem & pravum affectum: alteram Brentii, quod etiam interdum sit obscura propter phrasas lingue, tamen sensus ejus clarissimus sit.

XXVIII.

Vtramq, sententiam dicit Bellarminus manifeste falsam esse: contra obscuritatis causam refert ad duo, nimirum ad res & modum loquendi: addit noster Mulhasinus vocem, tantum, qua omnes alias causas excludit.

XXIX.

Quapropter Moguntini sentiunt cum Cardinale, scripturam per se obscurissimam esse, nam per se clarissimam ille negat: quin imò nullam in homine obscuritatis causam agnoscit, quia res & modus loquendi non sunt à nobis, sed à Scriptura vel eius authore Deo: Nonne hic vitium & defectum in ipsis scripturis notant Pontificii?

XXX.

At nos statuimus, scripturam nec universam, nec aquabiliter obscuram esse, nec tantum ob loquendi modum & res, neq, per se, vel quoad se, sed in nonnullis locis, & quidem ob humani inge-

nii infirmitatem, cecitatem, & preconceptos errores, cum duritia cordis & aliis pravis affectibus conjunctos.

XXXI.

Sic enim Paulus scribit. 2. Cor. 4. v. 3. si opertum est Evangelium nostrum, in his, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus huius seculi excecavit mentes infidelium, & non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloria Christi Et. v. 2. scripserat, se ambulare in manifestatione veritatis.

XXXII.

Ex his manifestum est 1. Verbum Dei non tantum ore predicatum, sed etiam ex scripto intellectum quoad se & per se habere δῶαμιν φανερα. Τικλὼ ἢ φωτισκλὼ, ut possit manifestare veritatem & illuminare mentes notitia gloriae Christi: Ergo scriptura etiam per se est causa manifestationis & illuminationis.

XXXIII.

Deinde ex his certum est causam obscuritatis esse partim Satanῶ φλωσιν, partim hominum ἀπισίαν, quos Stephanus propter temerariam & pertinacem incredulitatem vocat σκληροτραχίλεις ἢ ἀπεριτμήτους τῆ καρδία ἢ τοῖς ὡσὶν εἰ ἀντιώπωντας τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. Act. 7. v. 51. Quare reprobi resistendo Spiritui sancto, ipsi sibi tenebras & caligines offundunt, ne clarissimos salutis radios ex Scriptura coruscantes videant.

Vera causa obscuritatis.

XXXIV.

Ita Christus Luc. 24. ver. 25. culpam inscitiae discipulorum, non confert in scripturas Prophetarum, sed in insipientiam & tarditatem cordis humani, quā impeditur fides.

XXXV.

Hunc πρῶτο διδάσκαλον imitatus Petrus, τὸς ἀμαθεῖς & ἀσβή

ρίκτας

Ἰκτῶς accusat, qui scripturas ad sensum à veritate alienum detor-
quent, atq; sic eis vim nefariam inferunt. 2. Epist. 3. v. 17.

XXXVI.

Verum supra ejusdem Epistola c. 1. v. 19. appellat Propheticum
verbum lucernam lucentem in loco caliginoso, donec dies illucescat
& lucifer oriatur in cordibus nostris. Certè obscurum non potest lu-
cere vel caliginem dispellere, quin potius crassissimas tenebras in-
ducit.

XXXVII.

Patrum sen-
tentia.

Id ipsum sentiunt D. Patres obscuritatem scripturae ^{ἕως} ad
cedere. Bernhardus de vita solitaria ad Fratres de monte Dei sic
scribit: Si in lectione Deum querit, qui legit, omnia quae legit co-
operantur ei in bonum, & captivat sensus legentis, & in servitu-
tem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si
in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum, ni-
hilq; tam sanctum tam pium invenit in scripturis, quod seu per va-
nam gloriam seu per distortum sensum, seu per pravum intellectum
non applicet vel malitiae vel vanitati.

XXXVIII.

Origenes lib. 7. contra Celsum: alii quoq; cordati viri scrutan-
do scripturam intellectum ejus invenire poterunt: Licet revera sit
multis locis obscura, sed non sic ut intelligatur à nemine, quantum vis
Celsus id asseverat. Neq; talis est, ut non stultus quispiam aut praes-
tigiator explanare, aut arbitrio suo torquere valeat: sed solus qui-
cunq; vere sapiens in Christo est, totam seriem occultioris Prophetiae,
percepit, spiritualia cum spiritualibus conferens, & consuetis Scri-
pturarum locutionibus astruens singula.

XXXIX.

Constat hinc, quod obscuritas Scripturae nec solum nec pri-
mario in loquendi modo & mysteriorum sublimitate, sed potius, in
hominum cecitate & pravitate Verbum Dei in hunc vel illum sen-
sum ripientium consistat.

QVAE

QVÆSTIO IV.

An Pauli ἐκφώνησις Δαυμασικὴ faciat scripturam sensu Pontificio obscuram.

XL.

Cum Paulus Rom. II. v. 33. exclamat: ὀ altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ eius: minimè patrocinator Professoribus obscuritatis.

XLI.

Nam Primò Paulus non loquitur de altitudine obscura sed de planè incomprehensibili & investigabili, quæ Græcis est ἀνεξερεῦντος ἢ ἀνεξιχνίασος & opponitur τῷ γνωσῶ: unde apparet eam nullo pacto cognosci posse: at obscurum cognosci potest, licet difficulter & imperfectè: alias non diceretur obscurum, sed planè ἀκατάληπτον ἢ ἀνόητον, quod sub intellectum non cadit.

Ratio τῆσ ἀντιθέσεωσ 1. ab altitudinis adiuncto.

XLII.

Deinde Paulus agit de rebus non revelatis: dicit enim quis cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Contra inter nos & Esauitas quæstio est de rebus per scripturam revelatis, iuxta illud: Quid dicit scriptura? propè est verbum in ore tuo & in corde tuo. Rom. 10. v. 8.

2. à, causa efficiente:

XLIII.

Tertiò vos Gesauv vitæ blateratis de ea scriptura obscuritate, quam Catholica Ecclesia interpretari potest: sed altitudinem illam divitiarum apud Paulum interpretari non potest: Ergò, altitudo illa non est obscuritas ea scriptura, de qua vos blateratis.

3. à causa finali.

XLIV.

Maior est manifesta: Dicitis enim Scripturam propter suam obscuritatem, indigere Catholice Ecclesie interpretatione. Minor textu nititur: quia Paulus non interpretatur illa iudicia Dei, sed saltem admiratur: alias si posset interpretari, non vocaret ἀνεξερεῦντα.

C

Quod

XLV.

Quod si Papicola, obscuritatem scripturae Pauli admirabilem, vestra interpretatione auferre potestis, exponite quæso nobis vias illas Dei investigabiles, & iudicia incomprehensibilia, & ostendite, ubi & quando Dei consiliarii fueritis. Tu imprimis Iohannes Mulhusine, qui nasi acumine polles, expone nobis altitudinem divitiarum sapientia & divina scientia, & eris nobis ipso Apostolo Paulo maior.

XLVI.

Sanè divi Patres in obscuritatibus diluendis fuerunt longè modestiores. Gregorius Magnus lib. 1. expos. in 1. Reg. c. 1. dicit: scriptura sancta, quæ ad cognoscendum Redemptorem sunt edita, pro sublimitatis sua dignitate, veneranda tunc etiam sunt, cum non intelliguntur. Item; Sacra scriptura tam mirabiliter ab omnipotente Deo condita est, ut etsi multipliciter videatur exposita, non desinit ei tamen secreta, quibus servet occulta, quia ferè nunquam sic exponitur, ut ei non plura remaneant, quæ quotidie exponantur. &c.

XLVII.

Hieronymus de Regul. Monach. In divinis scripturis & libris, melius est obscura relinquere ut sunt, quàm aliquid temerè & prævè imitari, quod nescias.

XLVIII.

D. Augustinus in Iohannem Tract. 96. Quod ait Christus (Docebit vos omnem veritatem, vel deducet vos in omnem veritatem) non arbitror in hac vita in cuiusquam mente posse compleri. Quis enim vivens in hoc corpore, quod corrumpitur & aggravat animam, possit omnem cognoscere veritatem, cum dicat Apostolus ex parte scimus.

XLIX.

D. Ambrosius Epist. 44 ad Constant. Mare est scriptura di-

vina

Ohe, iam Pontificii intelligunt perfecte omnia divina mysteria.

Patrum testimonia, Gregor. M.

Non omnis veritas aperitur in hac vita.

vina habens in se sensus profundos, altitudinem Prophetorum a-
nigmatum, in quod mare, plurima introierunt flumina. Sunt ers
go & fluvii dulces, atq; perspicui sunt & fontes nivei, qui saliant
in vitam eternam, sunt & sermones boni sicut favi mellis & gra-
ta sententia, quae animos audientium spirituali quodam potu irri-
gent, & praeceptorum moralium suavitate mulceant. Diversa igitur
Scripturarum divinarum fluenta. Habes quod primum bibas,
habes quod secundum, habes quod postremum.

L.

Iustinus in libro de Trinit. Ego dum quaerens ambigo, tum
maximè miratus Christiana mysteria, cogor exclamare, nostras res
esse sublimiores, quàm ut ullâ mente, ullâ ratione, ullâ creata natu-
ra percipi queant. Quoties autem te quoq; similia scrutantem subi-
bit dubitatio, oppone questionibus paratam solutionem, fidem vid.
cogitans quod presente facienteq; Deo, etiamsi ignoretur aliquid e-
orum quae dicta sunt, vel propter excellentiam naturae, vel propter
dispensationis modum, nullum inde damnum accidat ignorantibus.

LI.

Dignissimum quoq; calama est Origenis Testimonium supra
Lev. Hom. 5. Si quid superfuerit, quod non divina scriptura de-
cernat, nullam aliam tertiã scripturã (præter duo Testamenta, puto)
debercad autoritatẽ scientiæ suscipi, quia haec dies tertia nominatur.
Sed igni tradamus quod superest, id est, Deo, reservemus. Neq; e-
nim in presenti vita, Deus scire nos omnia voluit, maximè cum id
& Apostolus dicat: Quia ex parte scimus, & ex parte prophetamus.
Haëtenus Patres.

LII.

Verum Ecclesia Romana καθολική, non tantum sibi vendicat
authoritatem obscura quæq; exponendi: sed etiam altitudinem &
abyssum divinae sapientiæ ad iudicii & sententiæ suæ trutinam re-
vocandi. Papa, Papa, Quid est insipere si hoc non est: sed meretri-
cia soboles caret fronte.

Quaedam
obscura tu-
to possunt
ignorari.

Præter scri-
pturam ni-
hil scire ad
salutem de-
bemus.


Hæc

*Hac de Primo mendacio contra nos impudenter eructato : si
Gesawvita in ceteris neccautior nec veracior est, in magno cum
suo speculo discrimine fama versabitur, id quod paulò post De-
nos iuvante experietur.*

Rom. 8.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

F I N I S



05 A 568

ULB Halle 3
004 209 923



Sb

1077





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



utationes AntiGesauvuitica

VERBO DEI SCRIPTO.

*eculum miseriarum sive mendacior
Mulmannum, à Iohanne Mulhusino,
Moguntinos Theol. D. & Professore, à pa-
is Lutheranis olim Episcopis dicto, fa-
catum, malleo divina scripturae
igitur, tunditur, conteritur:*

PRAESIDE

HIANNE MVL-
*lesiae Christi ad D. Nicol. apud
acono, non tantum adhuc Lutherano,
Propheta in sua inscriptione notat, sed et
Dei gratiam usque ad ultimum vitae
halitum mansuro.*

Respondente

HIANNE BLUMENAVE-
ro Zerbecensis.

VVITEBERGAE

**Iohan. Schmidt, Sumptibus Cle-
Bergeri Bibliop. Anno 1607.**

